

Majus opus nuper tentatum audivimus ipsi,  
 Tanto majus opus, quantum nostra æquora vincit  
 Oceani pelagus; tanio præclarus, ingens  
 Quantum America suis cum regnis omnibus, atque  
 Omni auro pretium hoc excedit velleris aureum.

Tertia pergelidæ pars terræ subjacet Uræ:  
 Ultimaque Arctoæ contraria nomen ab Austro  
 Sortita est: nobis sed vix nota utraque propter  
 Æternas hyemes, ventorumque invia regna.  
 Quæ latè in Boreas America extenditur oras,  
 Apparet Canadum tellus, & Virginiam,  
 Florida, Mexicaque ora, novumque Hispania nomen,  
 Atque aliae, atque aliae sic cultu ut nomine gentes  
 Regna tenent: dives stat Caliphornia ponto  
 Insula: non est & reliquas ut dicere post hanc  
 Jam morer; illa tibi par reguis grandibus extat.  
 Parte alia oppositum Boreæ qua vergit in Austrum,  
 Aqæa Castellæ regio est, Guianaque latè  
 Porrigitur; non ulla ferax magis altera tellus  
 An.o, atque argento; fert omnigenos animantes;  
 Oppida habet, magnisque extructas molibus urbes.  
 Adde his Brasiliam, Chilos quoquæ, Peruviumque.  
 Ingentes multique lacus, & ditibus undis  
 Flumina opima rigant horum spatha ampla locorum.

Dehinc oculos & ad hanc nostræ, quæ dicitur Orbis  
 Esse vetus, terræ partem circumser; & Afros,  
 Europæque, Asiacque immania regna recense.  
 Prima hominum sedes, atque altrix prima fuisse  
 Fertur terra ferax Asie: his prægrandibus oris,  
 His populis Reges magui, rerumque Potentes  
 Imperitant. Vastis regionibus Othmanidarum  
 Imperium angusto spatiatur ab Hellesponto.  
 Quot gentes, quot regna tenet! tum Persidis ingens  
 Excipit hoc ditio: hinc Indi, Seresque, Scythæque,  
 Extremique Asie Sinæ, gens invia montes  
 Propter inaccessos, marique crepidine junctos.

Afri-